

Idea reflexa est illa qua mens sponte sua redit in objectum cognitum, ut ipsum melius penetret et consideret. Ita reflexe revoco in mentem ideam visi hominis et accuratius expendo.

Idea simplex seu **incomplexa** illa est quae unicam rei entitatem seu essentiam significat, ut *homo*.

Idea composita est quae multiplicem rei entitatem seu essentiam in se concludit ut *medicus*, in quo duo sunt, nempe *homo* et forma accidentalis nempe *medicina*, qua est et vocatur *medicus*.

Idea abstracta est illa quae designat proprietatem seu formalitatem aliquam praecisam a quocumque subjecto, ut *sanitas*, *humanitas*.

Idea concreta — quae proprietatem seu formalitatem designat, sed ut afficientem aliquod subiectum, ut *sanus*, *homo*, *medicus*.

Idea singularis — quae certam aliquod individuum exprimit, ut *Petrum*, *Paulum*, *hanc arborem*.

Idea universalis — quae refert aliquid unum, quod pluribus subjectis aliqua saltem ratione convenit. Ita idea *substantiae* quae pluribus substantiis convenit, *hominis* quae pluribus individuis humanis, &c.

Idea particularis est idea universalis ad unam partem extensionis suae, eamque indeterminatam coarctata, ut cum dico *aliquis homo*, *quidam milites*. Vocatur etiam idea *disjunctiva*.

Idea collectiva est idea plurium singularium quae ad modum unius considerantur, ut idea *hujus* vel *illius familiae*, *exercitus*. Ad singularem reduci-
tur. Idea universalis est *distributiva* si non de omnibus simul sumptis, sed de singulis dicitur; ut *homo* praedicatur de *Petro*, *Paulo*, &c.

Idea transcendentalis ea est quae aliquid exhibet, quod non de pluribus tantum, sed de